

fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum, jam
 pene faciebam, et non faciebam: nec relabebat tamen in
 pristina, sed de proximo stabam, et respirabam, et item
 conabar, et paulo minus ibi eram, et paulo minus jam,
 jamque attingebam, et tenebam, et non ibi eram, nec at-
 tingebam, nec tenebam, haesitans mori morti, et vitae vi-
 vere: plusque in me valebat deterius inolitum, quam melius
 insolitum: punctumque ipsum temporis, quo aliud futurus
 eram, quanto proprius admovebatur, tanto ampliorem incu-
 tiebat horrorem, sed non recutiebat retro, nec avertiebat,
 sed suspendebat. Retinebant me nugae nugarum, et vani-
 tates vanitatum, antiquae amicae meae, et succutiebant ves-
 tem meam carneam, et submurmurabant: Dimittisne nos?
 Et a momento isto non erimus tecum ultra in aeternum, et
 a momento isto non tibi licebit hoc, et illud ultra in aeter-
 num? Et quae suggerebant in eo, quod dixi hoc, et illud,
 quae suggerebant, Deus meus, avertat ab anima servi tui
 misericordia tua. Quas sordes suggerebant? quae dedecora?
 Et audiebam eas jam longe minus, quam dimidius, non tan-
 quam libere contradicentes, eundo in obviam, sed veluti a
 dorso mussitantes, et discedentem quasi furtim vellicantes,
 ut respicerem: retardabant tamen me cunctantem abripere,
 atque excutere ab eis, et transilire, quo vocabar, cum di-
 ceret mihi consuetudo violenta. Putasne sine istis poteris?
 Sed jam tepidissime hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea
 parte, qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam,
 casta dignitas continentiae, serena, et non dissolute hilaris,
 honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem, et exten-
 dens ad me suscipiendum, et amplectendum pias manus
 plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, et puel-
 lae, ibi juventus multa, et omnis aetas, et graves viduae,
 et virgines anus, et in omnibus ipsa continentia nequaquam
 sterilis, sed secunda mater filiorum gaudiorum de marito
 te, Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi